

tas, nusquam aliàs inspiciendas. Restituam sanctè omnes inviolatas; restituam cum gratiarum omni actione, quâ ego possum meo ore gratitudinem meam publicè declarare. Quod autem mihi daret, neque vellem, neque desiderarem. Non est humānum, quod aliquis daret non viso, non cognito; res mundanæ non permittunt sic mercari. Exempla non præstant, nisi fortè in heroum seculis. Cur daret illi qui nihil posset reddere? Nil fit sinè causâ; habet amicos, cognatos conterrancos. Et, si caderet divina, ut hoc dicam, liberalitas, qualēm me censerent omnes, si assumerem? Et si sumerem, deberem hoc, decuplo ad minimum pretio, quo cumque demùm modo, renumerare, quod mihi vel esset impossibile in isto statu quo vivo, vel ob defectum occasionis et loci; sin non, fabulam (*sic*) fierem summæ ingratitudinis posteritati. Tu fecisti omnia quæ amicus intimus et summus poterit præstare, si mihi concederes inspicere has plantas per unam alteramve æstatem; ego plantas evolvam eâ fide quæ honestum decet, reddam die propositâ. Grates reddam quas potero, nunquam dignissimas; interea, dicas devotissima officia viro, famâ et animo verè magno. Quoties plantas inspicio, ejus magnanimitatem, tuam amicitiam, intueor.

Secretarius Academiæ Stockholmiensis, ipse